

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulæ Caesareæ potissimum instructa, & aliunde aucta, quæ a prima ætate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicæ Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicæ Gentis Principes, Lineæ Hispano-Austriacæ, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1752**

Prolegomenon quintum

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)



PROLEGOMENON QUINTUM

ET ULTIMUM.

SIGISMUNDI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ ET COMITIS TYROLIS NUMISMATA AC MONETAS PERCENSET.

I.

UT nummi Austriaci, quos hoc opere daturi sumus, alii ex aliis ordine genealogico, omnesque inter se apti atque colligati videantur, imposita mihi fuit necessitas de nummis SIGISMUNDI prius singillatim agendi, quam seriem nummorum a FRIDERICO *Placido* Imp. ordiar: illis ergo percensendis ultimum hoc prolegomenon destinamus, quo in ordine ad dicenda, cuilibet nummo commentariolum adponemus.

Argumentum dicendorum.

II.

SIGISMUNDUS FRIDERICI IV. filius ex ANNA *Brunsvicensi* anno 1427. genitus, fraternus erat FRIDERICI *Placidi* Imp. ac stemmatis Habsburgo - Austriaci propagatoris, unicus parentum suorum heres, Tyrolim & Alsatiam obtinuit anno 1439. Adolefcens viginti annorum, ELEONORAM, *Scotie* Regis filiam, matrimonio sibi iunxit, ex qua WOLFGANGUM, sed qui in prima infantia obiit, unicum suscepit filium. Ad secunda dein vota transiit anno 1484. ducta CATHARINA, Ducis *Saxoniae* filia, ex qua nulla prole auctus MAXIMILIANUM *Austriacum*, consobrini sui FRIDERICI filium, anno 1489. adoptavit, eique omnes provincias hereditarias tradidit: certa tamen pensione annua sibi reservata. Anno demum Christi 1496. IV. Martii, ætatis LXX. Oeniponti vitam cum morte commutavit.

SIGISMUNDI vitæ conditio.

III.

PRincipi huic tria potissimum, quæ in nummis considerari solent, in acceptis referenda sunt. Primus namque fuit, qui nummos Austriacos elegantioribus typis cudi curavit. Inter primos, si non primus, quoque erat, qui in perigraphæ suorum nummorum titulum *Archiducis* adhibuit. Primus denique, qui *Grossos* & subinde *Unciales* in Tyroli signari iussit; qua in re alii Europæ Principes, etsi varia suis nummis *Uncialibus* nomina imposuerint, eundem secuti sunt. Singula hæc clarius exponemus. Primum quidem difficultate caret; si quis enim maiorum ac præcedentium Ducum nummos bracteatos, ac *solidos* illos, minoris formæ, quorum eçtropa Tab. I. & VII. in medium produximus, cum typis SIGISMUNDI, a nobis modo edendis, conferre voluerit, is facile intelliget, quanta ars monetaria sub SIGISMUNDO apud Tyrolenses incrementa cœperit. Nihil hic refert de primis FRIDERICI *Placidi*, eiusque filii MAXIMILIANI I. nummis memorare, de quibus paullo post sermo erit; illi enim non in provinciis Austriacis, sed vel in *Italia*, vel in *Flandria*, vel denique in *Burgundia* percussi fuerunt, & post-

Eius nomen in re monetaria percelebre.



steriores quidem cum iconibus CAROLI *Burgundici*, eiusque filiae MARIE, UXORIS MAXIMILIANI Archiducis.

## IV.

*Archiducis titulum in nummis expressit.*

ALTERUM, quod exponere constitui, est: SIGISMUNDUM inter primos fuisse, qui in nummis titulum *Archiducis* adhibuit. De origine huius tituli modo non disputo, sed ex monumentis Austriacis ac cum primis ex diplomatibus & sigillis constat: RUDOLPHUM IV. ALBERTI II. *Sapientis* filium, eundem titulum iam usurpasse; sed qui illum in nummis gessisset, præter ALBERTUM VI. neminem hætenus ante SIGISMUNDUM comperi. MAXIMILIANUS quidem I. suis in nummis cum eodem titulo comparet; attamen illum serius adscivit; prius enim se scripserat *Austrium* seu *Austriacum*, & in nummis nuptialibus, ducta in matrimonium MARIA, *Ducem Austria & Burgundie*, mox FRIDERICI *Cæs. filium*, *Ducem Austria & Burgundie*; dein cum CARLO socero, & postea cum MARIA uxore in nummis se sistens, titulum gerit *Magnanimi Archiducis* (1). Cusi autem sunt posterioris generis nummi anno 1477. & 1479. Quin Cl. *Jacob a Mellen* in præfatione ad suos *Unciales* de hisce MAXIMILIANI I. nummis differens, adhuc in dubium vocat, an ii iam anno 1479. cusi fuerint? Iuvat hic eius verba recitare, ut ut rem haud ita certam esse, coniecere liceat ex dictis infra num. XI. pag. 23. *Licet habeamus, inquit, huius ponderis (uncialis) numismata, vultum MAXIMILIANI I. Austriaci, & MARIE Burgundicæ, referentia, quæ annum 1479. exhibent; haud tamen, si, quod res est, dici debet, eorum ætas huius anni numero respondere videtur: sed potius ex recentiori litterarum ductu: ex MAGNANIMI titulo, quo MAXIMILIANUS ibi gaudet, aliisque id genus argumentis, colligas, nummos istos posterioribus demum annis in memoriam serenissimorum, quos ostendunt, coniugum cufos esse.* SIGISMUNDUS contra quadriennio post mortem patris sui (hæc, ut iam notavi, inciderat in annum Christi 1439.) id est anno 1443. regimen Tyrolis & provinciarum Anterioris Austriae, nec non Landgraviatus Alsatiae iam adierat, & anno iam tum 1448. ELEONORAM, Regis *Scotorum* filiam, duxit uxorem, annoque 1457. post obitum LADISLAI *Posthumus* una cum ALBERTO *Austriaco* contra FRIDERICUM *Placidum* Imp. de adeunda hereditate provinciarum Austriacarum insignem controversiam habuit. Anno demum 1475. dato Cæsareo diplomate, titulo *Archiducis* omnes Austriae Principes solemniter insigniti fuerunt. (2). Ex quibus coniecere fas erit: SIGISMUNDUM vel occasione nuptiarum cum ELEONORA, vel adeundæ prædictæ heredita-

(1) Vid. infra nummos MAXIMIL. I. Tab. X. n. 2. & 10.

(2) Hic quasi per transennam notare iuvat, ex virtute memorati modo diplomatis *Fridericani* præcipi: Principes, qui *Austriam, Styriam & Carinthiam* possident, eorumque seros nepotes, ex gente *Habsburgo-Austriaca* oriundos, stylo curiæ *Archiduces* appellari, sed inde non consequitur, dictas quoque provincias, quæ prius Cæsarea pariter auctoritate *Ducatus* honore aucte iam erant, ad gradum *Archiducatus* evectas esse; titulus quippe *Archiducalis* non provinciis, sed harum *Dominiis* ac *Ducibus* tributus fuit: seu, quod idem est: *Duces* in *Archiduces*, non vero *Ducatus* in *Archiducatus* evecti

sunt. Inde vero causa in propatulo est, cur in moneta MAXIMILIANI I. scriptum legatur: *Archidux Austria, Styria, Carinthia, Tyrolis*; nec officit, *Comitatus Tyrolensem* in supra laudato diplomate expressam non esse; is namque imperante FRIDERICO ad SIGISMUNDUM attinebat, qui illum postea MAXIMILIANO cessit. Ad hanc notam exigi & exponi volumus dicta a nobis p. 50. col. 1. linea 5. - 10. & ibidem lin. 39. loco *Archiducatus* legendum *Archiducis* vel *Archiducum*, quæ formula, in plurimum numero posita, in nummis Tyrolensibus haud infrequens est, ut suis locis videbimus.



ditatis ergo, vel denique vi laudati diplomatis, adeoque ante MAXIMILIANUM I. se in nummis cum titulo *Archiducis* iamiam spectabilem reddidisse. Tenemus enim nummos cum icone SIGISMUNDI hosce titulos referentes: ARCHIDVX AVSTRIE COMESQVE TIROLIS. In aliis legitur: ILLUSTRIS ARCHIDVX ET COMES TIROLIS. Monetæ quoque, eo Tyrolim adhuc tenente, cusæ sunt cum epigraphe: MONETA ARCHIDVCIS AVSTRIE, AC COMITATVS TIROLIS. Huius autem generis monetæ & titulorum formulæ, antea plane infuætæ, usu receptæ videntur a SIGISMUNDO vel medio quinto decimo seculo, quo tempore lites cum Cæsare movebantur de acquirendo Austriæ Ducatu; illa enim atate (ut quidem videtur) *Illustris Archidux* scribi voluit: ut ius suum ad *Ducatus* Austriæ ceterasque provincias hereditarias, publice testatum faceret; vel sane id factum statim post annum 1475. quando de *Archiducis* titulo iam publice promulgatum fuerat.

V.

SIGISMUNDUS in sua Tyrolis, metallis divite, fossorum metalliariorumque solertia venas feliciter rimatus, veteres nummos bracteatos ac informes nummulos, quibus tunc in commercio res agebantur, pertæsus, monetas crasse fieri iussit, quas a maiori pondere, seu potius a crassamento *Grossos* appellavit. Hoc a nullo maiorum suorum antea factum fuisse legimus: quamquam negandum non sit, iam sub ALBERTO II. dicto *Sapiente*, nummos solidos in Austria viguisse: sed qui æquo pondere, habita nimirum ratione ad *Florenos* & *Unciales*, qui communi usui subinde destinabantur, argentum signari, ac monetas cudi curaverit, ante SIGISMUNDUM in albo Principum Austriæ vidi nullum; is itaque hac in re auctoris nomen promeruit. *Grossi* quidem omnes sunt *solidi*, sed non vice versa nummi, quos ad distinctionem bracteatorum vocamus *solidos*, pondere *Grossos* æquant: quin *Grossi* ipsi inter se valore ac pondere non sunt pares; *Grossorum* enim nomina, *Florenis*, *Uncialibus*, & ponderosioribus etiam nummis, inscripta æque legimus, ac partibus eorundem, sive minoris moduli ac valoris, monetis. Ceterum recte docet Cl. STEYRERUS (3) dicens: *genus illud moneta seu Grossi, denarii Pragenses, initium iam habuere sub WENCESLAO II. Rege Bohemæ, circa annum MCCXCVIII. Grossi, seu magni dicti sunt, ad discrimen a veteribus seu parvis, cumque omnes in loquendo brevitatem ament, inde factum, ut monetam illam nominantes, omissis illis vocibus: Denarios Pragenses, solam vocem Grossos exprimerent. Moneta hac in vicinas regiones illata, etiam in germano idiomate nomen idem retulit in hæc usque tempora, licet non (Grossen) quod exacte responderet significationi vocis latinæ (Grossi seu magni) sed Groschen pronuntiemus; quod originem traxit ex usu seu abusu; quod in pluribus vocibus s non acuto sono, sed obtuso, ac*

*Grossi* in Tyrolis primus cudi curavit.

3

k 3

(3) In additamentis ad comment. pro hist. ALBERTI II. col. 132.



4 *strepenti quasi sch germanicum non pauci pronuntiant, cuius rei etiam in veterum chartis exemplum frequens est in voce sol seu ful, quam schol vel schul scripsere.* His adde, quæ Eruditi Lipsienses in recens apertis *Grossorum scriniis*, de nomine, origine, pondere & valore *Grossorum* tradiderunt (4).

## VI.

Nec non *Unciales*, qui pariter ab Eruditis primi habentur.

5 **C**elebris est apud curiosos rei nummarie disquisitio: quinam inter  
6 *Unciales* nummos *primi* fuerint? *Samuel REYHERUS* Iuris Consul-  
7 tus & Mathematicus Kiloniensis egit de tribus argenteis nummis, iis-  
8 que *Uncialibus* antiquissimis, *Austriaco SIGISMUNDI* Archiducis nostri, *Saxonico* seu *Misnico* *FRIDERICI Sapientis*, *GREGORII & IOANNIS*, & *Bohemico Schlickensi* (5). Sunt, qui eiusmodi nummos iam anno 1429. ab *ALBERTO Austriaco*, *SIGISMUNDI* Imp. genero, cufos esse perhibent (6): alii iconismum *Uncialis Moguntini*, annum 1438. preferentem exhibent (7). Sed dubitat laudatus *MELLENIVS*, an eiusmodi *Uncialium* archetypi in medium produci uspiam possint; adeoque concludit: inter nummos a se visos, antiquissimos esse, quos *SIGISMUNDUS* Archidux anno 1484. & sequentibus signari iussit (8). Largior equidem lubens Cl. auctori, qui data opera nummos *unciales* *Austriacos* cum magna eruditione exegit: *Unciales* a *Grossis* seu crassioribus nummis vulgo *dicke groschen*, aut *florenis*, dictis *Gulden* & *Gulden-groschen* adaucto & duplicato argenti pondere, & habito solius quantitatis respectu, nomen suum traxisse; quod subinde mutatum, ac quos hic *Unciales* appellamus *Ioachimicos*, *Vallenses*, *Thaleros*, a valle in regno Bohemie, loco scilicet *Ioachims-thal* (ubi signabantur) tandem ab auctoritate Imperiali, huic monetæ generi concessa, *Imperiales* seu *Reichs-thaler* appellatos fuisse; verum quia studium numismaticum fere in dies recens detegit & producit eiusmodi veteres nummos varii moduli & ponderis, nolim tueri ante annum 1484. *Unciales* nusquam gentium percussos fuisse; quin eius commatis *Uncialem* ætate maiorem in gazis aulæ Vindobonensis me comperisse existimo, cuius delineationem mox dabo: illud autem ingenue fateor, me neque in prædictis gazis, neque alibi locorum de *ALBERTI Austriaci* nummo *Unciali*, de quo alii apud *MELLENIVM* meminerunt, vel minime invenisse. Quam ob rem nullam cum viris in re nummaria exercitatissimis *MELLENIO*, *KOEHLERO*, aliisque pluribus afferendi difficultatem habeo: in numero *Uncialium Austriacorum*, quotquot hætenus a scriptoribus proditi & pro genuinis agniti sunt, *SIGISMUNDI* nummis proedriam deberi. Verum de æra, qua primo *SIGISMUNDI Unciales* signati sint, dubium enodandum remanet.

## VII.

(4) Loculamento II. post præfat.

(5) Kilix 1695. in 4.

(6) Colloq. mensr. anni 1695. mense Decembr. p. 1005. Apud *MELLEN* loc. cit.

(7) Libell. monetali, edit. Hamburg. 1631. in 4. p. 61. ap. eundem.

(8) In præfat. ad Syllog. numm. uncial. p. 3. & 4. Adde *KOEHL. m. b. l. Part. II. præfat. §. 11. & xxxii.*



EXeunte seculo Christi xv. & sub initium xvi. *Unciales* in commercio venisse, tradunt plerique scriptorum. MELLENIVS propius ad rem, annum statuit 1484. quæ æra in umbone nummi SIGISMUNDI inscripta legitur. Sed ut paullo ante monui, in gazis Augustalibus SIGISMUNDI nummum reperi; quem ætate illi, de quo locuti sumus, anteferendum esse iudico: eius delineationem habes Tab. VII. num. VII. penitiorum vero descriptionem §. VIII. num. itidem VII. reperies. Hic autem signa vetustatis, quæ ille continet, tantisper consideranda sunt: quod ut rite fiat, præmonendum est: nummum hunc & probitate argenti & pondere æqualem esse illi, cum quo comparationem instituimus; adeoque inter *Unciales* censendus, etsi notis chronologicis careat. Iam vero in huius aduersa caput comparet, magnæ molis, & diadema parvum; contra in illo anni 1484. caput ad mediocritatem compositum, sed galerus extantior. In huius epigraphæ scriptura vetus, quam *Monachalem* appellant, præsertim in litteris M. & V. conspicabilis est: in altero eadem litteræ ad formam recentiorum exaratae, & veterum ductibus permixtae. Utrobique titulus ARCHIDUCIS legitur: quocirca §. IV. ostensum iam est: SIGISMUNDUM hunc titulum ante annum 1477. assumpsisse. Aversæ quoque in multis differt a priori nummo: hic eques strictum tenet gladium, ibi hastam: in hoc inscriptio, in aduersa inchoata, continuatur in aversa, quæ in illo deest; numerus denique situsque ac collocatio scutorum variat. Vero similis itaque sit, *Uncialem* hunc, de quo egimus, ante annum 1484. & quidem, ut videtur, a monetariis Italis, forte *Florentinis*, non multum adeo a *Tyrolis* distantibus, fuisse percussum. Animadverto præterea, occasionem signandi hunc nummum, expeditionem fuisse bellicam; nam ut milites suos ad pugnam animaret Princeps, se cataphractum & stricto gladio, quasi in hostes irruentem sese in hoc nummo sistit. Morem hunc non semel secutus est MAXIMILIANUS I. Archidux, qui cum acies instruenda erat, similes fere nummos signari curavit; uti postea in delineatione eius nummorum intueri licebit. Novimus autem SIGISMUNDUM iam tum anno 1460. contra CUSANUM Cardinalem, & Episcopum Brixinensem movisse, eumque, *Braunckio* vi occupato, captivum duxisse Oenipontem. Tum vero anno 1481. contra Venetos, nec non Helvetios bella gessisse. Verum Lectoris arbitrio relinquimus, an nummum hunc ad priorem illam, an ad posteriorem æram seu expeditionem bellicam referre velit; nobis satis est, ostendisse: eum ante annum 1484. signatum fuisse. Illud autem postremo reticendum non est, quod in nummis MAXIMILIANI I. demonstrabimus: nummos nimirum, qui primo vel nuptiarum causa, vel alicuius expeditionis gratia, tanquam *memoriales* cusi erant, postea nonnunquam *usuales* factos, ac commercio & communi usui destinatos fuisse; quod ipsum de hoc

Æra percussorum *Uncialium* SIGISMUNDI inquiratur.

hoc



PROLEGOMENON

L

hoc SIGISMUNDI nummo *Unciali* cum magna veri similitudine dici quoque poterit.

VIII.

Et ordo in censendis nummis SIGISMUNDI statuitur.

ORdo, quem in ceteris Aufriacorum nummis observare constitui, in censendis SIGISMUNDI nummis ire nequit; in his enim ducendum est initium non a mnemonicis ac historicis, sed a *monetis* ac *denariis* in Tyroli primo signatis: producendi dein *Grossi*, ac deveniendum tandem ordine chronologico ad *Unciales*. Verum hæc ipsa monetarum series non vanam cum nummis *mnemonicis* seu *memorialibus*, analogiam præbet; uti enim præcedenti §. audivimus: primum SIGISMUNDI *Uncialem*, ex gazis Aulae Vindobonensis eductum, vera quadam ratione *memorialibus* adnumerari posse, ita reliquæ eiusdem monetæ historiam rei monetariæ quodammodo illustrant. Nactus porro sum nummum iconicum CATHARINÆ secundæ uxoris SIGISMUNDI Archiducis: nec non monetam MAXIMILIANI I. superstitæ etiamnum SIGISMUNDO, in Tyroli percussam: horum itaque delineationes nummis SIGISMUNDI suis locis addam.

TAB. VII.  
Num. I.

† MONETA: NOVA... (lege: *comitatus*) TIRO. *lensis*. Aquila simplex pansis alis & pedibus, capite dextrorsum verso.

In perigraphæ averfæ unica vox MEDIVM legibilis, reliquæ literæ exefæ. Umbo variis ductibus & punctis ornatus, scutum continet, erecto leone conspicuum: margo quoque scuti quasi tessellatus, striis distinguitur: infra in margine, seu segmento sigla obliterata, nec amplius discernenda.

Nummum hunc in *Tyroli* cusum esse, prodit *aquila* averfæ parti impressa, eius *Comitatus* symbolum, atque ipsa epigraphæ. In averfâ *leonem*, pro *Habsburgico* habeo, typumque ceteris, qui mox sequentur, antiquiorem reputo. An vero SIGISMUNDO revera tribuendus, an FRIDERICO IV. eius patri adiudicandus sit, definire nolim.

Illud quidem certum & exploratum: maiores FRIDERICI suis in sigillis avitum *Habsburgi* insigne *leonem*, perpetim celebrasse; sed alibi dictum iam est: RUDOLPHUM IV. qui in ceteris monumentis *aquilæ* figura delectabatur, nummulis *Wiennensibus* in commercio ut plurimum fuisse usum. *M. S. B. ar. prob. i. denar.*

Num. II.

ILLVSTRIS ARCHIDVX. CRUX plana minor, recta, superimposita maiori obliquæ.

† COMES TIROLIS. Aquila *Tyroloensis*. De assumptione tituli *Illustris Archiducis*, huiusque occasione iam egimus supra §. IV. Cusa itaque fuerit hæc moneta vel medio seculo XV. vel post medium eiusdem: a cruce vero eiusmodi nummis impressa, nomen *crucigerorum*, ac *cruciatorum*, quin & *cruciferorum* est ortum.

Huius quidem generis moneta sexagelimanam *floreni* partem hodie valore continet; sed recurrit simile crucis signum, seu decussatio



tio etiam in *Grossis*, nummis scilicet maioris ponderis ac valoris. *M. Imp. & M. S. B. ar. prob.*

Nummus præcedenti similis, sed typus in eo variat: quod in Num. III.  
adversa vox *ILLVSTRIS* ex integro est exarata: in averfa vero inscrip-  
tio peripheriam non implet, sed spatium aliquod vacuum in margine  
relinquit. Ex his variationibus coniciet: placuisse *SIGISMUNDO*  
monetam hanc novis nonnunquam typis reiterare.

Adversa duobus præcedentibus nummis omnino æqualis, etiam Num. IV.  
in ipsa epigraphe: *ILLVSTRIS. ARCHIDVX.* Averfa vero differt; in  
ea enim hæc inscriptio legitur: † *COMES. GORICIE*, atque in umbone  
symbolum *Goritie* expressum est. Partem quidem Ducatus *Ca-*  
*rinthie* *SIGISMUNDO* Archiduci a *FRIDERICO* Imp. cessam fuisse no-  
vimus; sed cur titulum & insignia huius Comitatus Archidux in  
nummis ferat, caussa forte fuerit: illum eidem pariter cessum, vel  
saltem ab eo præensum esse. Sane *ALBERTUS VI.* qui cum *SIGIS-*  
*MUNDO* agebat, durante diffidio cum *FRIDERICO Placido* Cæsare,  
*monetam* pariter *Carinthiacam* signari curavit, uti videre est in de-  
lineatione nummi Tab. VII. parte priori num. xx. *M. Imp. ar.*

† *SIGISMUNDVS. ARCHIDVX. AVSTRIE.* Effigies *SIGISMUNDI* si- Num. V.  
nistrorsum, operto capite pileo Archiducum, cruce super imposita,  
crinibus crispatis. In averfa: *GROSSVS. COMITIS. TIROLIS.* Aquila sim-  
plex coronata, exserta lingua, pansis alis & pedibus, dextrorsum  
caput vertens, parmulam *Austrie* pectore gerit.

Notes hic velim, in præcedentibus denariis ac solidis, mino-  
ris moduli, *aquilam Tyrolensem* corona ornata necdum fuisse:   
tum vero *SIGISMUNDUM* non amplius *Illustrem Archiducem*, sed *Ar-*  
*chiducem Austria* in *Grossis* æque ac *Uncialibus* se scripsisse, quod ex  
sequentibus typis patebit. *M. Imp. ar. M. BUOL. pond. semunc.*  
*3. dr. LOCHN. an. 1742. p. 97. ar. pond. 2. dr. non plene æquans.*

† *SIGISMUND. ARCHIDVX. AVSTRIE* Effigies Principis armata Num. VI.  
ad medium corpus, dextra sceptrum sin. capulum gladii tenentis,  
cum pileo Archiducali in capite ad lævam converso.

† *GROC (c. locos.) Ssus COMITIS. TIROLIS.* Decussatio ad pe-  
ripheriam pertingens, non modo quaternionem scutorum distinguit,  
sed etiam verba inscriptionis dividit. In quatuor angulis hæc cernun-  
tur scuta: *Austria*, *Tyrolis*, *Carinthia*, & *Habsburgi*, sive *Styria*;  
quamquam animal quadrupes erectum, *leonem* potius, quam *pan-*  
*theram* referat. Tres omnino huiusmodi typos conspicatus fui, &  
quartum exhibet *Cl. MURATORIUS* (9) quem *Mutinæ* ex museo  
*Pertachinio* eduxit: sed in nullo eorum speciem animalis liquido di-  
scernere poteram. Eundem nummum reperi in gazis *Aulæ Vindo-*  
*bonensis in ar. ½ drach.* in cuius averfæ partis epigraphe prima vox  
*Grossus* non mendose per litteras *GROC*, sed rite exarata est:  
*GROS.* Ceterum cum in typo proxime præcedentis *Grossi* aquila  
sola, *Tyrolis* symbolum, in umbone averfæ inscripta sit, in hoc  
autem *Grosso* iam quatuor omnino adpareant parmulæ, illum



huic anteponendum duco; pluralitas enim scutorum in nummos, uti & in sigilla, serius inducta est; quin quaternio scutorum in nummis *Uncialibus*, quos Archidux subinde cudi curavit, haud amplius sufficiebat, sed auctus est eorum numerus. *M. BUOL. & S. B. ex ar. prob.*

Num. VII.

SIGISMUNDVS ARCHIDVX AVSTRIE. Effigies Archiducis sinistrorsum videntis, capite Ducum pileo ornato, cataphracti, dextra sceptrum, in humerum reclinatum, sinistra capulum gladii tenentis. Adversam hanc uncialis partem, sine aversa, HERÆUS suas in tabulas retulit.

COMESQ. *ue* TIROLIS. Hæc tota aversæ partis inscriptio, interiectis supra sex parmulis, infra tribus. In umbone eques cataphractus, galea coronata, superimposita pavonis cauda, defluentibus binis tenniis ornatus, sinistrorsum equitans, dextra extensa, strictum tenet gladium, sinistra pectus operit scuto, fascia Austriaca conspicuo. Equus phaleratus & cristatus, cuius anterioribus pedibus ad cursum compositis, scutum obiectum est, quinque avibus insignitum: infra ad pedes ternio scutorum comparet: illud in medio *aquilam Tyrolensem*, a dexteris *Pantheram Styria*, a sinistris symbolum *Carinthie* præbet. Parmulæ in superiori margine a dextris hoc ordine sequuntur. I. *Habsburgi*. II. *Provincia supra Anasum*. III. *Kyburgi*. A sinistris similiter tres. I. *Carniola*. II. *Landgraviatus Alsatia*. & III. *Marchionatus Burgovia*. In inferiori margine itidem ternio scutorum: in medio pisces *Pherretani*, ad latera: *Vinidorum Marchia* & *Portus Naonis*. Quæ porro circa hunc nummum consideratione digna sunt, iam supra exposuimus §. VII. *M. Imp. ar. deau. pond. semunc.*

Num. VIII.

C. A. H. Z. S. Siglas hæc in area nummi, circa collum iconis hinc inde expressas, hunc in modum Germanico sermone exponendas esse putamus: *c. atharina. a. ustriaca h. erzogin z. u. s. axen.* Effigies CATHARINÆ ea ferme forma exhibetur, qua in annalibus *Gerardi de Roo*, versione Germanica, Augustæ Vindelicorum editis anno 1621. p. 401. ligno incisa extat. Facies scilicet sinistrorsum versa, capilli calantica tecti, caput pileo, incisuris & cristis ornato, tectum: collum & pectus unionibus, & torque conspicua.

Numisma hoc iconicum, quanquam restitutis adnumerandum, miræ tamen elegantie est, locumque in albo nummorum SIGISMUNDI iure meritoque sibi vendicat; ea enim patre ALBERTO Duce Saxonie, cognomento *Animoso*, ac linæ *Albertine* fatore nata 24. Iulii 1468. primo nupsit SIGISMUNDO Archiduci 1484. Hoc demortuo 1496. secundas nuptias celebravit cum ERICO Duce *Brunsvicensi*. Ipsa tandem fati cessit 1524. Dicto nuptiarum anno 1484. SIGISMUNDUS *Unciales* nummos cudi curavit, de quibus statim dicemus. *M. Imp. ar. sine postica.*

Num. IX.

SIGISMUNDVS ARCHIDVX AVSTRIE. Effigies Archiducis sinistrorsum, armati & pallio ornati, ferme umbilico tenuis expressa: capite pileo Archiducali cooperto, & crispatis crinibus: dextra sceptrum in humerum tenet reclinatum, sinistra capulum gladii prehendit.

Aversæ epigraphe caret, & loco inscriptionis XIV. scuta provinciarum Austriacarum interiorem marginem implent & ornant. In umbone

ne



ne eques cataphractus & in apice cauda pavonina cristatus, phalerato infidens equo currenti, vexillum fere erectum tenet (hoc fascia Austriaca distinctum esse ait MELLENIUS, quod ei LOCHNERUS in disputationem adducit) infra æra Christi intra pedes equi expressa legitur. 1484.

Parmulæ illæ XIV. scutariæ, quæ umbonem cingunt, hoc ordine procedunt. Initium sumendo ab illa, quæ ceteris est maior, sub ipso equi ventre sita, vetus, quod vocant, *Austria* symbolum exhibet: inde in ascensu a dextro latere ad sinistrum alterne progrediendo, reliquas XIII. notas illas provinciarum tesseræ, a nobis iam alibi expositas, ita lego: 1. comparet *Fascia Austriaca*. 2. *Panthera Styria*. 3. scutum *Carinthia*. 4. *Tyrolis*. 5. *Carniola*. 6. *Burgovia*. 7. *Habsburgi*. 8. *Alsatie*. 9. *Ducatus supra Anasum*. 10. *Pherretis*. 11. *Kyburgi*. 12. *Vinidorum Marchia*. 13. denique scutum, quod vexillo iungitur, est *Portus Naonis*. Laudati auctores aliam quidem computationis rationem inierunt; sed recensio hæc nostra magis consentanea videtur, cum dignitati provinciarum, tum ordini titulorum, quem Principes Austriaci & in diplomatibus & in ceteris monumentis ut plurimum observarunt. Neque vero certa ac universalis regula in nummis statui potest: quo loco in enumerandis scutis (si hæc sint magnitudine æqualia, nec colloca-tione, neque alia ex causa differant) primo incipiendum, tum vero prosequendum sit. In hoc in ima parte, in aliis plerisque superne ordo ducendus: in quibusdam dextrorsum, in nonnullis sinistrorsum idem ordo prosequendus. Quæ porro de hoc *Unciali* notari merentur, habes ex dictis supra §. VII. & in annotationibus ad nummum num. VII. LOCHN. an. 1742. p. 105. MELL. p. 150. ar. 1. unc. M. S. B. semunc. seu floren. eiusd. typi & M. BUOL. pond. 3. dr. & semis.

SIGISMUNDVS. ARCHIDVX. AVSTRIE. Figura integra Archiducis cataphracti & pallio ornati: capite operto Archiducali pileo, & fuetis suis crinibus crispatis, stat inter leonem telamonem, qui a dextris est, scutum fascia *Austriaca* insigne tenentem: & inter galeam coronatam a sinistris, cauda pavonis fastigiatam, circumvolitantibus laciniiis: dextra sceptrum tenet, sinistra capulum gladii prehendit.

Aversa in paucis differt a postica præcedentis uncialis. Æra hic signatur 1486. adeoque priori recentior est biennio; tum vero non tantum XIV. parmulas scutarias, sed XVI. omnino, inscriptionis loco, in peripheria continet. MELLENIUS tertiam adnotavit differentiam: quod nimirum eques *fasciam* seu potius *lacinias*, a tegumento capitis defluentes, gerat: & ita res se habet, uti & in HERÆI typo: sed in *unciali*, quem nos tenemus, huiusmodi lacinia defunt; exinde vero colligitur, typum huius uncialis nummarii secundis tertiisve curis reffectum, ac servata eadem æra 1486. subsecutis etiam annis percussum fuisse.

Symbola in XVI. illis parmulis scutariis, iuxta computandi rationem, in descriptione præcedentis uncialis observatam, in hunc modum strictim enumeramus: 1. *Austria*. 2. *Styria*. 3. *Carinthia*. 4. *Tyrolis*. 5. *Vinidorum Marchia*. 6. *Portenavia*. 7. *Hohenbergi*. 8. *Veldkircha*. 9. *Habsburgi*. 10. *Carniola*. 11. *Pherretis*. 12. *Kyburgi*. 13. *Provincia supra Anasum*. 14. *Landgraviatus Alsatie*. 15. *Margraviatus Burgo-*

III .num/1

Num. XI

XI .num/1



*via.* & 16. *Ducatus Wirtenbergia.* *M. S. B. ar. pond. i. dr. MELL.*  
*p. 155. & T. H.*

Num. XI.

† MONETA ARCHIDVC. *is* AVSTRIE. Effigies Archiducis armati, longiori capillitio & galero Archiducum ornati: dextra sceptrum tenet, sinistra capulum gladii prehendit. Sequitur in averfa:

† AC COMITATVS. TIROLIS. Quaternio scutorum, imposita decussatione distinctorum. Supremum locum occupat *Hungariae* scutum coronatum. A dexteris est *aquila Tyrolensis*, *fascia Austriaca* a sinistris: in imo symbolum *Burgundiae*.

10 Nummum hunc duplici forma spectandum præbet Cl. HANTHALERUS (10): priorem tribuit FRIDERICO *Pacifico* Cæsari, eumque post mortem MATHIÆ, Hungariæ Regis, *Viennæ* cusum fuisse asserit. Alterum MAXIMILIANO I. Cæsari vindicare contendit (11). Verum rerum circumstantiis mature perpensis, monetam hanc non *Viennæ*, sed in *Tyrolis* cusam fuisse iudico, & quidem intra annos 1489. & 1493. In ambobus porro typis non FRIDERICI *Placidi* Imp. eo tempore iam senis, nec SIGISMUNDI Archiducis (ut ut superius aliter censuerimus) qui crinibus crispatis in nummis passim comparet, sed MAXIMILIANI I. Archiducis virilem floridæ ætatis faciem representari. Priori quippe æra SIGISMUNDUS noster, cum legitimam prolem non haberet, MAXIMILIANUM Austriacum, consobrini sui FRIDERICI Cæsaris filium, adoptavit, eique omnes provincias suas hereditarias tradidit, ut supra monuimus. Anno vero 1493. MAXIMILIANUS patri iam in Imperio successit; cum tamen in nummo neque de titulo, neque de signis Imperii quidquam comparet, quod HANTHALERUS ipse animadvertit. Intererat autem vel maxime circa annum 1489. provinciis Austriacis, quin Europæ universæ, publico monumento testatum fieri: *Comitatum Tyrolensem Domum Austriacæ* seu *Archiduci* denuo *unitum* esse. Expeditius vero remedium, id præstandi, non erat, quam in nummo, usui communi destinato, effigiem MAXIMILIANI, habitu *Archiducis* exprimere, cum epigraphe utramque partem implente: MONETA ARCHIDVC. *is* vel *um*  
 11 (12) AVSTRIE AC COMITATVS TIROLIS: quæ omnia & singula in nummo nostro executioni data fuisse cernimus. Adde, quod scutum *Burgundiae* quale in hac moneta conspicitur, nec a FRIDERICO Cæsare nec a SIGISMUNDO Archiduce in publicis monumentis unquam usurpatum, sed a MAXIMILIANO, ducta in uxorem MARIA *Burgundica*, primo assumptum sit. Tametsi vero moneta hæc MAXIMILIANI effigiem præferat, eam tamen nummis SIGISMUNDI adnumerandam censui; cum quod, ipso superffite, in Tyrolis sit percussa, tum quia ultimam eiusdem vitæ epocham ac unionem Comitatus Tyrolensis cum Archiducali Domino Austriacæ luculenter exponit. Cuius demum formæ ac moduli fuerint nummi ac monetæ FRIDERICI eiusque filii MAXIMILIANI, nec non eorundem posterorum, distinctis tabulis modo ordine suo intuebimur; quamobrem hisce prolegomenis tandem imponendus est finis. *M. Imp. ar. pond. semidr.*  
 12 SERI-

(10) *Wienn-münz* in frontispic. n. 13. & 14.  
 (11) *Ibid.* in recens. p. 17.

(12) *Causam*, cui non legamus *Archiducatus*, iam exposuimus supra §. iv. in marg. inferiori.